


Georg Mejer Christophorus Siegfriedus


Disputatio I. Collegii Metaphysici : De Philosophiae Definitione

Rostochii: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729118312>

Druck Freier  Zugang






57

R. U. phil. 1609. 10.

12 gyl.

35 1717





DISPUTATIO I.
COLLEGII METAPHYSICI
DE
PHILOSOPHIA
DEFINITIONE.

Quam
AUSPICE CHRISTO
In alma Rosarum Academia

PRÆSIDE
M. GEORGIO MEIERO
Duderstad. Sax.

Defendendam suscipiet
CHRISTOPHORUS SIEGFRIEDUS
Hildes - VVismariensis.

Ad diem 29. August. horis matutinis.

ROSTOCHII
Ex Typographia Stephani Myliandri
Anno c15 15 CX.

PHILOSOPHIA
DEFINITIONE

Ex
Bibliotheca
Academica
Rostochiensis



PROOEMIUM.



AGNUS ille subtilitatum Doctor Julius Scaliger cum doctè admodum & nervosè differuisset, os mortuum in cadavere eà destitui formâ, quam habuerat vivens in homine, *perquam paucos* subjungit *bonos esse Metaphysicos* exer: 6 sect. 12.

Quod ad eò verum est, ut ei obloqui qui velit, ipsi cotidiane obloqui videatur experientie. Quis enim nescit neglectam fuisse hæctenus atque ignoratam aquilam illam scientiarum Metaphysicam? pleriq; enim vel supervacaneam eam, vel à Logica minimè distinctam arbitrabantur. Sed decepti cum barbariem tritissimam ac omnium rerum confusionem miserrimam Re pub. literarie imminere viderent, coacti sunt Metaphysicam ceu scientiam nobilissimam amplecti, exosculari. Non potest Theologus si non cognitione Metaphysicâ sit instructus, cum adversarijs præsertim Jesuitis feliciter congregi, cum hi tela sua ex ipsissimâ Metaphysices pharetrâ depromere soleant, neq; id mirum: est enim tota ferè eorum Theologia in Metaphysica fundata. Philosophus sanè reliquas scientias perfectè cognoscere nequit non cognitâ Metaphysicâ. Ex hac enim illæ non solum paruculam subjecti abscindunt: verumetiam principiorum suorum confirmationem petunt, ut testis est idem Scaliger exer. 321. Ob tantam hanc doctrinæ Metaphysicæ non tantum necessitatem; sed & præstantiam; sed & nobilitatem, eandem sub disputationis incudem revocare constitui. Deus nos Spiritu suo sancto regat, ne à veritatis tramite aberremus.

Theorema I.

Vocabulum Philosophiæ est *πολύσημον*.

I. Antequam ad ipsam accessum faciamus Metaphysicam haud abs re fore existimamus, si Philosophia definitionem, principia, & ejus distributionem collationi placida subijciamus, præsertim eum nulla alia præter Metaphysicam disciplina sit, qua generalem Philosophiæ pertractationem jure sibi vindicare videatur.

II. Quia vero erroris mater semper esse solet homonymia, homonymiam in voce Philosophia consistentem excutiemus prius, quam ad ejus definitionem nos convertamus. Sunt vero quinque potissimum vocabuli philosophia acceptiones. Primò enim sumitur pro sola Metaphysica. Deinde pro Philosophia speculativa. Porro pro omnibus disciplinis ingenuis & liberalibus, atque sic Logica etiam partibus philosophiæ annumeratur. Præterea pro omni in quacumque re peritia, quo sensu rustici etiam philosophari dicuntur, sed cum ligone. Tandem propriè pro disciplinis realibus tam speculativis quam practicis, qua in significatione hoc loco philosophia consideranda venit.

Theorema II.

Philosophia malè definitur à Ramæis omnium artium liberalium comprehensio.

I. Quia definitio isthac habitus instrumentales etiam Logicam nempe, Rhetoricam & Grammaticam complectitur, quæ tamen veræ Philosophiæ partes non sunt, quemadmodum in sequenti disputatione demonstratur sumus. Deinde genus in definitione positum (comprehensio) ambiguum est: vel enim accipitur pro habitu ipso, sive collectione disciplinarum in mente, & sic aliquomodo tolerari posset: vel pro collectione earundem in libro

libro, quo sensu minimè toleratur. Accipere vero Rar-
mas vocabulum comprehensionis in postrema hac significatione,
omnia fermè ipsorum scripta testantur. Hinc enim decantatissi-
mum apud eos extitit axioma: Artes constare materiâ &
formâ: illam esse præcepta; hanc vero præceptorum or-
dine legitimo dispositionem.

II. Hanc vero Ramæorum sententiam minimè consistere pos-
se probatur. 1. Quia omne accidens definiendum est in
subjecto suo primo. Extra controversiam autem est, Philo-
sophiam prius fuisse in mente, quàm scriptura mandaretur.
Quia igitur philosophia est accidens, in mète quoq; tanquam sub-
jecto primo, non libro qui subjectum saltem est secundum defini-
ri debet. 2. Quia scriptura simulacrum est & imago conce-
ptuum mentis. Quod enim animo prius conceperamus, id in
scripturam conjicientes sensa animi nostri alteri explicamus.
Quemadmodum autem simulacrum res ea non est, cujus est si-
mulacrum: sic quoq; liber seu scriptura non est ipsa philosophia,
sed ejus tantum exemplar. 3. Quia liber nunquam operatur.
Ubi aut datur ars, & in universum aliquis habituum, ibi neces-
sum est sequi aliquando operationem: Habitus enim ubi est, ibi
nunquam perpetuè erit ociosus, aut frustra totus.

III. Nec obstat quod dicunt doctrinam literis consignatam
conferre habitum philosophicum. Primò enim hoc non per sese
facit, sed per accidens. Nam puer licet literas noverit: non ta-
men ex libris habitum philosophicum sibi comparare sine infor-
matore poterit. Deinde liber habitum philosophicum non ratio-
ne sui, sed habitus quem representat, conferre dicitur.

Theorema III.

Philosophia est habitus ad animi perfec-
tionem

tionem in contemplando & agendo sitam nobis inserviens.

I. Genus Philosophia proximum & adequatum est habitus. Qualitatem enim esse Philosophiam haud quisquam igit inficias. Non vero in quarta est qualitatis specie, quia propter quantitatem ratione corporis non inest; neq; in tertia, quia non est affectus repentinus; neque in secunda, quia non inest natura. Relinquitur ergo necessario quod sit in prima. Non vero est dispositio, quia hac via saltem est ad Philosophiam consequendam. Ergo habitus. Probat: 1. Quia usu & exercitatione crebra acquiritur. 2. Quia acquisita haud facile amittitur. 3. Quia ad eandem adipiscendam opus est institutione aliorum.

II. Differentia non aliunde quam ex consideratione objecti sive materia circa quam versatur Philosophia, desumitur, quae in duplici est differentia: Res enim quae Philosophia subiiciuntur vel sunt contemplabiles vel agibiles. Illarum cognitio animae partem praestantissimam perficit, nimirum intellectum: harum vero voluntatem. Duplici enim defectu animus hominis laborat ignorantia videlicet & perturbatione. Illa intellectus: hac voluntas. Philosophia autem duplici huic morbo medetur. Tenendum tamen, hanc animae perfectionem essentialem minime esse: Nam ratione essentia anima non minus in rustico est perfecta, quam in homine erudito; in homine pravo, quam virtuti dedito: Sed accidentalis tantum quae consistit in mutatione ab ignorantia ad scientiam, ab affectuum dominio ad eorundem cohibitionem.

Theorema IV.

Causa efficiens philosophiae est vel remota vel proxima.

Illam

Illam constituimus Deum ter Opt. Max. omnis in natura
boni autorem, qui gratam de sese famam in philosophia spargi, ac
Ethnicis manifestus fieri voluit, ut ipse gentium Doctor testis est
Rom. 1. Hanc Φύσιν καὶ ἀσκησιν, quibus Philosophus adjungit
ἰσομετρῶν, ἐμπειρίαν καὶ ἴκτα γωνῶν. Accurata enim rerum
sublimium & ignotarum contemplatio; solers vicissitudinum in
rebus observatio; & deniq. universalis è multis singularibus col-
lectio humanam peperit sapientiam.

Theorema V.

Materiam ex qua Philosophia habet nul-
lam.

Materia vulgò triplex statuitur: Una ex qua materia
proprie sic dicta: altera in qua, subjectum inhaesionis; tertia
circa quam, objectum. Materiam circa quam habet Philoso-
phia, uti superius dictum res omnes tam contemplabiles quam
agibiles. Materiam in qua intellectum. Materiam vero ex
qua nullam habet, cum quod ea tantum in substantijs corporeis
reperiatur: tum quod materiata omnia quantitatem sibi habeant
conjunctam, secundum quam in partes dirimi & secari possint.
Hic vero Ramæi materiam Philosophia, ut & omnium aliarum
accidentium adeò subtilem esse contendunt ut sensum nostrum
fugiat, & exprimi non possit, quam tamen propterea negandam
minimè censent cum nec forma lapidis exprimi queat, quam
tamen adesse nemo inficiatur: Caterum, si esset in acciden-
tibus materia, quemadmodum in lapide forma, illorum ex-
plicationi locum lubenter relinqueremus. Sed idipsum non-
dum probarunt. Lapidem formam habere, licet nobis in-
cognita sit manifestum est, quia est corpus: Omne autem cor-
pus compositum est ex materia & forma, Accidens vero
materiam non habere probatur, quia non est corporeum: mate-
riata

riata autem omnia sunt corporea: Corporeum autem quod est, substantia est: *Accidens vero non substantia. Præterea affectiones materia, ut sunt quantitas & divisibilitas accidenti non competunt: Locum enim tantum habent in corporibus.*

Theorema VI.

Forma Philosophiæ cum genere coincidit.

Quia accidentia materiam propriè sic dictam, physicam nempe non habent, in definitione eorundem genus non potest sumi à materia, sed à forma. Genus autem Philosophiæ superius constituimus habitum, qui forma aequipollet. Nam cum Philosophia in systemate essentialiter considerari non possit: nec ejus forma pro præceptorum in systemate dispositione, ut voluit Ramai, haberi poterit.

Theorema VII.

Finis Philosophiæ est vel universalis vel particularis.

Ille est gloria Dei. Ut enim omnia à Deo: Sic omnia propter Deum: Hic perfectio nostra non quidem omnimoda & absolutissima: Ea enim ex sola Theologia petenda: sed qualis in corruptam nostram naturam cadere potest, tam in rerum contemplatione sive veritatis indagatione: quam vita morum, secundum virtutem conformatione consistens.

COROLLARIA.

I.


An Philosophia contrarietur Theologiæ? N.


II.

An Philosophia Theologo sit necessaria? A.

III.

An philosophia in se considerata sit opus carnis? N.





306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis; & natura: nunquam vero corrumpitur; nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia existunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se existit, non in corpore, sed semper extra corpus.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore existere, per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore existere. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unionem.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione essentia, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document